

[90v]

**AMICITIA VsqVe aD aras neCIs non InterrVpta,<sup>a</sup>  
olim in Damone et Pythia  
coram Siciliae tyranno Dionysio,**

hodie in theatro exhibita ac scenice representata  
agente Perillustri, Nobili et Ingenua  
supremae classis grammaticae juventute  
in Caesareo Regioque Soc. Jesu collegio Glacii  
anno 1720, mense Junio, die ...

#### ARGUMENTUM

*Damon et Pythias tam fidelem inter se amicitiam junxerant, ut cum Dionysius Syracusanus alterum eorum morti adjudicasset isque paucos sibi dies commendandorum suorum causa poposcisset, alter pro reditu ejus vadem sese Tyranno sistere, vel capit is sui periculo, si ad praestitutum diem non reverteretur, nequicquam dubitaverit. Approxinante definito die nec illo redeunte, nemo non tam liberalem sponsorem temeritatis et amentiae damnabat. Verum ubi eadem, quam Dionysius neci destinarat, hora supervenit, cui constituta fuerat, Tyrannus, amborum animum admiratus, supplicium donavit fidei utque tertius in societatem amicitiae reciparetur, postulavit. Ex Cicerone, l. 3. De officiis et Valerio Maximo l. 4., cap. 7. de amicitia.<sup>b</sup>*

[91r]

#### PROLUSIO

*Amicitia et Fidelitas indissolubilis nexus cupidae adamantino vinculo jungi a Vulcano postulant et exorant.*

*Cantat Vulcanus cum sociis inter fabricandum.*

- |                          |  |
|--------------------------|--|
| [Vulcanus]: <sup>c</sup> | Eja, vestra huc adaptate, insudate, fabricate,<br>Preparate vincula,<br>Queis <sup>d</sup> amantes perennantes, aeternantes, adamantes<br>Sint adusque funera. |
| 5      Vulcanus:         | Instate celeres, quemque mandavi, ocyus<br>Perficide dextris annulum.  |

<sup>a</sup> Chronogram = 1720

<sup>b</sup> Cf. Heine, O. (ed.): *M. Tullii Ciceronis de officiis ad Marcum filium libri tres*. Weidmann, Berlin 1871, s. 201; Valerius Maximus: *Dicta factaque memorabilia*, Amstelodamum 1671, s. 142.

<sup>c</sup> Případně *Vulcanus et socii*. Doplňeno podle předešlých scénických poznámek. V předeře se střídá zpěv (v. 1–4 a 21–26) s mluvenými pasážemi (v. 5–20).

<sup>d</sup> *Queis*, arch. tvar abl. pl., klas. *quibus*.

	Socii:	Jamjam vides, Bene est peractum.
	Vulcanus:	O mea capitula! Laudo vos! Quo munere satis praemiabo dexteras?
10	Socii:	Munus erit, ubi vel unicam tecum feras Ab axe stillam nectaris.
	Vulcanus:	Feram, feram. At ecce! Veniunt hospites.
	Am. et Fid.: <sup>e</sup>	Magni Jovis Propinque et ejus Architecte fulminum!
	Vulcanus:	Quid vos in hisce quaeritis bini plagis?
15	Amicitia:	Amamus unus alterum atque esse cupimus In amore juges.
	Vulcanus:	Petitis auxilium meum?
	Fidelitas:	Hoc nempe, ut uniamur a te vinculo Quodam perenni ad invicem.
	Vulcanus:	Hoc fiet statim. Ergo agite, socii! Huc applicate vincula, Quae nuper effecistis atque ad invicem Haec colligate brachia.
20	Socii:	Actutum, ut jubes.
	<b>Cantus</b>	
	[Am. et Fid.]:	Io, sumus juncti, adamante puncti, Amabimus nos, amabimus nos.
[91v]		Ut si Polus premat, tota tellus tremat, Amabimus nos, amabimus nos.
25		Nemo separabit, quos amor ligabit, Amabimus nos, amabimus nos.

### PROLOGUS

*Gratioso auditori actionis seriem exponit ejusdemque benevolam aurem acturis exposcit.*

Damonem et Pythiam, par amicorum non in Sicilia duntaxat, ceu solo patriae, verum et orbe toto notissimum proponimus, auditores spectatissimi, quos dum induimus, Herculem cogitatis et Thaeseum, Pyladem et Oresten,<sup>f</sup> Nisum et Eurialum, nullus dubito. Et ideo pluribus non explico, at solum vestram in spectando patientiam, in audiendo benevolentiam perhumanissime imploro. Ita patientes agite, benevoli spectate et favete.

<sup>e</sup> Am. et Fid. = Amicitia et Fidelitas.

<sup>f</sup> Oresten – řecký akuzativ.

### INDUCTIO I.

*Damon memoria repetens, quam constanti affectu se identidem prosecutus fuerit Pythias, in perennem eum deligit amicum. Idem reciproce a Pythia factum non sine liquido animi solatio ex tradita sibi discit epistola.*

	[Damon]:	Quidquid <sup>g</sup> ago, quidquid cogito, semper meus Mihi recurrit Pythias. O Pythia! O dulce nomen! O mea voluptas! Meum Suäve <sup>h</sup> et unum gaudium! Quis det mihi, Ut te cito habeam, basiem, amplectar, fruar? O dulce nomen Pythia, o gratus nimis In orbe amicus! Dulcis hospes in fibris! Ah Pythia! Tu grata semper es quies!
30		Ultra est nihil, quod animus affectet, tui Vel sola memoria sat beatum me facit!
35	[92r]	Non teneo porro me; ibo in occursum ocyus, Si forte vel tui umbra videatur mihi.
	Nuntius:	Nisi fallor, isthic Pythiae ego mihi Patroclum? Non fallor equidem. Accedo.
40	Damon:	Damonem vides.
	Nuntius:	O me beatum, qui Diis ductoribus Feliciter adeo! Obvium mihi alterum Pythiam habeo.
	Damon:	Istud esse tibi certum velim.
45	Nuntius:	Age ergo, Damon, mille per me Pythiae Sui salutes, simul et hanc epistolam Accipe.
	Damon:	Beatis me dupliciter, sidera, Dum mihi salutem, simul epistolam a meo Adbajulatis <sup>i</sup> Pythia! O mi Pythia! Vitam tibi uni consecro! Numen meum
50		Cum veritate dixero! Sed ago, lego, Quae mella quemque melleus favum meus Mihi Pythias. Hae literae totum ferunt, Quod corda dudum scire studuerunt. Lego Totum, salubris fructus in cortice latet.

**Inductio I identidem**] itentidem A.

**48** Adbajulatis] Adbajulantis A.

<sup>g</sup> Metricky nejasné místo, druhá slabika zřejmě prodloužena pod přízvukem.

<sup>h</sup> Z metrických důvodů nutno vyslovovat trojslabičně. Podobně viz v. 321.

<sup>i</sup> Doloženo pouze sloveso *bajulare*, *adbajulare* použito zřejmě z metrických důvodů.

- 55                    O me beatum! Diffloo prae gaudiis,  
                       Quando favore plenus ad nostrum fluit  
                       Votum fidelis Pythias. Quod dum lego,  
                       Mel dulce quaevis littera et favum refert.  
                       Quantos favores, Pythia, immitis fibris!
- 60                    Sit ergo, totus vivo devotus cliens  
                       Ego Pythiae, qui solus intimis placet.  
                       Gaudia refunde! Mille gratias ferant  
                       Orbis ministri, corda quod poscunt mea.  
                       Damon ego adsum corque, sit justum, dico  
                       Nostro favori.
- 65                    Nuntius:                  Num placet forsan aliquid  
                               Mihi rursus exporrigere, quod referam?
- Damon:                  Sine  
                               Ac vade, ego mox praevolantem subsequar  
                               Vivamque mecum epistolam feram.
- Nuntius:                  Velut  
                               Jubes, revertor ad Pythiam, avolo.
- Damon:                  Sequor.

[92v]

**INDUCTIO II.**

*Dionysius capitii suo ob tyrannidem metuens, iterato sub gravibus poenis omnes amicorum interdicit congressus.*

- 70                    Andromisus:            Vivis Sicilia, quamdiu tuus tibi  
                               Dionysius, dum sol micat tuus tibi.
- Dionysius:                Vivit Sicilae Cynthius, dum sidera  
                               Adeo serena pone latus ejus micant.  
                               Vivo, si et aula atque Proceres vivunt mei.
- 75                    Aulici:                 Omnes ad omnem Principis nutum sumus.  
                       Filiolus 1:                Auguste, tamen et nos tuum ad nutum sumus.  
                               Pater, impera aliquid, en, ego totum exequar!
- Filiolus 2:                Auguste, si quid jusseris, libens agam.  
                       Filioli 2:                Jube nos in hostem ruere, si vivat pater.
- 80                    Dionysius:                Vivo et perenno, si velut vos, sic quoque  
                               Omnis Sicilia Principis nutum colat.
- Aulici:                 Ut fiat istud, sanguinem, en, nostrum tibi!  
                       Dionysius:                Hoc ergo rursum Siciliae notum velim  
                               Esse universae, ne quis occultum sibi  
                               Pactum seu habeat faedus, ut ne quid sibi
- 85

- Princeps abinde metuat. Ita juro Deos,  
Quocunque fuerit nomine statutum licet,  
Lugubre mortis pegma conscendet tamen.  
Sua stet voluntas patris et vivat pater!  
Approbet Olympus, quod sibi Princeps cupit,  
Quique sibi faedus, pereat, occultum velit!  
Vivat, io, Dionysius!  
Vivat pius  
Justusque Princeps!  
Vivat et regnum diu  
Sospes gubernet!  
Principis si quis dein  
Jussa violabit, vindicem incurret manum  
Scelerisque facti debitas poenas luet.

### INDUCTIO III.

*Pythias inaudiens, quam amice epistola sua fuerit recepta quamque affectuose perlecta, imperare sibi nequit, quominus Damonis sui conveniendi gratia ocyssime ad domum ejus convolet et Achilli suo ipse conjungatur Patroclus.*

[93r]

- Pythias: Numero prope omnes horulas, quando meus  
Redierit a Damone nuntius. O meae,  
Damon, levamen unicum animae! O, quis dabit  
Tandem, quis, oro, et quis mihi cito dederit,  
Paullulum ut aliquid de Damone resciam?  
O mi Damon! O dulce nomen! O, meis  
Amabile isthoc auribus adhaeret melos!  
Tui medullis insito affectu flagro,  
Amore totus conflagror, Damon, veni!
- 100 Perseus: Here, audio aliquid.  
Pythias: Quin magis inde aspice.  
Perseus: Here, video suum passibus magnis iter  
Maturat isthuc nuntius.
- 105 Pythias: Procul ne adhuc  
Distat?  
Perseus: Meo jamjam haeret in vestigio.  
Pythias: Sunt grata nuntia. Serve, quam recto potes  
Brevique calle, concito cursu vola,  
Sine mora adesse nuntium hoc loco jube.  
Daelius: Parebo jussis. Vota fortunet Polus!

---

101 Paullulum] Paulillum A.

- 115 Pythias: Ah cito, beate nuntie, accelera gradum!  
Per. et Dael.<sup>j</sup> Io! Triumphet Pythias! Praesens adest,  
Ecce, ut cupivit, nuntius.
- Pythias: Video, stupes,  
Quod praesto tibi sim, Mercuri. Fave, ut meus  
Damon agit?
- Nuntius: Jamjam recepi spiritum.  
120 Salve, Damonis gloria et cor et anima  
Alterque Damon!
- Pythias: Qui se habet Damon? Meas  
Ut is recepit litteras?
- Nuntius: Vivit optatos dies,  
Sed vivit illos Pythiae, hunc loquitur et hunc  
Indesinenter ingemit. Ubi autem manum  
125 Tuam exaratam e manibus accepit meis,  
Pro, ille quae non signa, quos actus dedit  
Sui in te amoris! Imo dum se non capit  
Ipsum, ultro se resolvit ad te invisere.  
Neque dubitaris, jam properat et jam in via est.
- Pythias: Gaudia mihi mera nuntias, mi nuntie,  
[93v] Proin age, vade et ocyus mecum Lares  
Meos subi, rebus ubi in ordine positis,  
Viam paeibo, Damoni in occursum ferar.
- 2 ephebi: Et nos sequemur, quo pedes cumque<sup>k</sup> tuleris.

#### INDUCTIO IV.

*Andromisus, Dionysio perfamiliaris, ut Tyranno se probet amplius, speculatores constituit, qui familiarium invigilent conventiculis deque iis cum se, tum Dionysium continuo certiores faciant.*

- 135 Andromisus: Audistis, ut non dubito, quid Dionysius  
Noster iterato et omnibus nobis palam?  
Aulicus: Praecipere Siculus quodque prohibere autumas  
Jupiter?  
Andromisus: Id, hercule.  
Elpenor: Desuper sensum refer.  
Andromisus: Hoc nos in augen<sup>l</sup> gloriae et primos potest  
Nostri in favores Principis.

<sup>j</sup> Per. et Dael. = Perseus et Daelius.

<sup>k</sup> Tmesis, zřejmě z metrických důvodů.

<sup>l</sup> Řecký akuzativ

- 140 Virividus: Age, diphteram,  
Non vanus augur, explica.  
Andromisus: Si vos per et  
Domum Penates, per viarum compita,  
Imo per et avia et invia notetis, si ubi  
Ubi duorum arcana forte faedera  
Rescire detur, quae seu mihi, seu  
Dionysio referre mox quivis velit.
- 145 Elpenor: Hic ego studebo per oculos centum vigil  
Et Argus esse.  
Virividus: Quin ego noctu et diu  
Velut in Olympo Phoebus inter sidera  
Mille excubabo.
- 150 Cecantus: Tamen ego totus oculus  
Et lynce quovis insuper fuerim acrior.  
Satelles 1: Nos quoque per agros, per nemora vagabimur  
Ubique scelera persecuemur Principis.
- 155 Andromisus: Pergite, agite et in omne latus omnes insimul  
Agitote tam oculos, quam pedes, quam dein manus,  
Aut quidquid alias ullius operae potest.  
[94r] Nihil futurum credite, quod haud vel decus  
Vel honor vel aurum vel opulentia vel favor  
Vel subsequetur gloria.
- 160 Omnes: Ut Princeps cupid,  
Ut Andromisus intimat, fiet jube.  
Satelles: Tuis paratos nutibus cunctos vides.  
Omnes: Princeps triumphet!
- 165 Satelles 2: Centoculus abhinc ero.  
Satelles 3: Struamus insidias! Latebo isthic ego.  
Satelles 4: Hunc ego locum in speculam mihi.  
Satelles 1: Hunc ego mihi.  
Omnes: Si quod scelus deprendero, actatum suo  
Claudetur antro!  
Omnes: Jussa sic Regis volunt.

### CHORUS PRIMUS

*Tyrannis de artissimo Amicitiam inter et Fidelitatem vinculo edocta, violente illud rumperem contendit. Quod dum incassum tentat, furoris plena utramque carceri mancipat.*

	Tyrannis:	Quos video nostros subire Lares? <sup>m</sup> Ad arma! Ad arma, socii, Prehendite, discindite!
170		Par gradior astris <sup>n</sup> nec patiar unum mihi Incidere parem; despicio, si quis velit Levare cornu. Eos ego odi maxime Jubeoque, ut odio maxime habeant, qui mihi Servire cupiunt; nempe eos, qui ad invicem Sese obligare et faederari postulant. Ecquod genus video hominum?
175	Am. et Fid.:	Duos vides, Qui nos amamus quique simul unum sumus.
	Tyrannis:	Et vos, scelera, vos in meum interitum invicem?
	Am. et Fid.:	Nos imo amamus nos, amamus ad invicem.
	Tyrannis:	Mox jubeo amorem ponere!
	Am. et Fid.:	Hoc frustra jubes.
180	Tyrannis:	Quid frustra? An etenim non videtis, quod queam Ego vos per hosce et cogere?
	Am. et Fid.:	Efficies nihil, Quia nos amamus.
	Tyrannis:	Scelera, ita audetis mihi
[94v]		Desistere? Agite, satellites, in vincula Abripite, faedium in carcerem detrudite!
185	Am. et Fid.:	Nos etiam et inter compedes amabimus. In innocentes ingeris, In nos inane rumperis, Amamus nos, amamus nos. Stringat rigor, stringat furor,
190		Stringant mille vincula, Nil moraris, nil lucraris, Nil retardant omnia! Quo vinxeris nos artius, Amor ligabit amplius.

<sup>m</sup> V 1. choru se střídají mluvené verše v jambickém trimetru s pravděpodobně zpívanými pasážemi (v. 166–168 a 186–194).

<sup>n</sup> Cf. Seneca, Thyestes, 85: *Aequalis astris gradior.*

## INDUCTIO V.

*Fortuito obviam sibi facti Pythias et Damon, amores primum suos mutuis sibi testantur amplexibus, mox et sanguine eosdem consignant.*

- 195 Phoedrus: Hac nos abire jusserrat Damon meus,  
Atque ecce, quantis venio parasangis prior  
Et anteverti Faustulum. Tandem venit.  
Cochlea!
- Faustulus: Trochaeum grande! Quod forsan decem  
Me nunc praeieris passibus, quem praevie  
Constanter anteverteram.
- 200 Phoedrus: Videlicet  
Uti juvencus tigridem?
- Faustulus: Videlicet  
Ut struthionem solet aquila. Per me licet,  
Ut ut libuerit, rideas.
- Phoedrus: Tamen utique  
Certum est, quod ego te jugis anteverterim.
- 205 Faustulus: Cedo mihi, dicti quem tibi tui testem habes?  
Phoedrus: Hem! Quod tibi etiam petere testem hac in re audeas?  
Faustulus: Constat, scio, quod et sine teste mentiri scias.  
Phoedrus: Faustule, parumper cautius, ne quid nimis!  
Faustulus: Cur tu quoque nimis et prior quidem nimis?  
[95r] Atque ecce!
- Per. et Dael.:<sup>o</sup> Super! Quo venimus sidere,  
Ut Phoedrum et hic ut Faustulum?  
Ph. et F.:<sup>p</sup> Num Perseum?  
Num nos videre Daelium?  
Per. et Dael.: Sane sumus  
Ipsissimi.  
Ph. et F.: Et nos sumus item ipsissimi!  
Salvete, nostri amabiles fraterculi!  
215 Per. et Dael.: Numne in propinquuo vester est fortasse Herus?  
Ph. et F.: Num vester itidem est?  
Per. et Dael.: Noster est.  
Ph. et F.: Et noster est.  
Omnes 4: Ergo redeamus et ista referamus Herulis.

196 parasangis] Parasangvis A.

<sup>o</sup> Per. et Dael. = Perseus et Daelius.

<sup>p</sup> Ph. et F. = Phoedrus et Faustulus.

- Phoedrus: Quae non feremus nuntia! Et quae non dein  
Gaudia! Jam ego mihi imaginor.  
Faustulus: Sine dubio.
- 220 Phoedrus: Nam si una nuper tantopere Herum epistola  
Recreare potuit, quid, Deos, non Pythias  
Modo ipse praesens faciet?  
Hoc ipsissimum est.
- Ph. et F.: Sed avolemus.  
Faustulus: Et en Herulus!
- Pythias: Ubi enim?  
Faustulus: Sumus  
In itinere, vides, et quidem cum gaudio.
- 225 Pythias: Eccur, cedo?  
Faustulus: Tibi referre de Niso tuo.  
Pythias: Quae causa?  
Faustulus: Quod sit in propinquu scilicet.  
Pythias: Damon meus! Et ille mihi tendat obviam?  
O me beatum, vota cui complet Polus!  
Quem blandiore sortis arrisu favor
- 230 Damon: Dignatur hodie! Phoebus, ah, terris cito  
Optata ducat tempora! Applaudat Polus!  
O me! Quis ille punctus Elysiae mihi  
Felicitatis?  
Ph. et F.: Pythia, Damon adest.  
Pythias: Vix capio memet.
- Damon: Pythia!  
Pythias: Damon!  
Damon: Ave!
- 235 Pythias: Ave!  
Damon: Sed o, ave centies, mi Pythia!  
Pythias: Sed o, aveto millies, Damon, mihi!  
Concede, jungar dulci in amplexu comes!  
Damon: Ah teneo, teneo te, mi anime!
- Pythias: Teneo te, ego  
Te teneo, stringo te, mea anima!
- Damon: Quin ego  
Te amplexor etiam.
- 240 Pythias: Quin etiam ego te oscular.  
Damon: Ego te oscular, repeto, ego te oscular.

- [95v] Pythias: Ego te.  
 Damon: O Pythia mi!  
 Pythias: O mi Damon!  
 Damon: Tu denique  
       Meus es Achates.  
 Pythias: Et tu es Aeneas meus.  
 Damon: Quin tu quoque meus es Hercules.  
 Pythias: Tu Theseus  
 245      Meus.  
 Damon: Imo tu meus es Achilles.  
 Pythias: Tu meus  
       Alter et es ipse Patroclus.  
 Damon: Mi Pythia!  
       Ego te habebo juge mihi charissimum.  
 Pythias: Quin et ego, Damon, juge te svavissimum!  
 Damon: Quales Orestae et Hercules et Pyladae  
 250      Olim fuere et Thesei, tales quoque  
       Et nos avemus postea.  
 Pythias: Hercule, si faves,  
       Ego tibi Orestae Pylades, ego Herculi  
       Tibi sum futurus Theseus.  
 Damon: Sed juge sic,  
       Sed aeviternum sic manebimus. An placet?  
 255      Pythias: Sic aeviternum et juge, sic semper placet!  
 Damon: Sed ista verbis explicamus unice,  
       Libet re ipsa quoque.  
 Pythias: Age, ceu Damon jubes,  
       Etiam crux proprio, si vis, probam  
       Signabo amoris. Bullit in venis crux.  
 260      Damon: En! Sic ego meo sangvine hoc scribar tibi!  
 Pythias: En! Sic ego meo pariter hoc tibi sangvine.  
 Damon: Ego esse Damon Pythiae aeternum volo.  
 Pythias: Et ego Damonis Pythias aeternum ero.  
 Damon: Sic me juvabit Jupiter  
       Et omnes Dii.  
 265      Damon: O vive multos, vive Nestoreos dies!  
 Pythias: Et vive! Vitam solverem tuo meo  
       Cruore.  
 Damon: Meritis majus hoc pretium meis.  
 Pythias: Quidcunque restat, viscera ac animam tibi  
       Lubens dicabo.

- 270 Damon: Viscera ac animam meam  
 Tu promereris.  
 Pythias: Debitas, Damon, meus  
 Favor refundet gratias aeternum tibi.  
 Damon: Sum, Pythia, sum atque maneo aeternum tuus!  
 Pythias: Ergo vale! Damon, vale!  
 Damon: Aeternum tuus!  
 Pythias: O millies, Damon, vale!  
 Damon: Aeternum tuus!

[96r]

**INDUCTIO VI.**

*Observarat haec forte exploratorum aliquis et ad Andromisum retulerat. Qui dum advolat, solum quidem deprehendit Damonem, in vincula nihilominus ut regii praevacatorem interdicti conjici imperat.*

- 275 Elpenor: Nisi audiisse oculisque spectassem meis,  
 Vix possibile fore crederem, actum est quod tamen.  
 Agitare quid prudentius possum? Sub hoc  
 Pacto latere insoliti aliquid. Utut sit, est  
 Mirabile aliquid, simul inauditum, ut vale  
 Sic dicat unus, alteri in collum ruens.  
 Praetor melius intelliget, quid factu opus.  
 Huic sub rosa omnia, sed et ille viderit.  
 Vidi hisce nimium, testis oculatus, nefas  
 Quod hic duo isti, utique in caput Dionysii  
 Posuere, quin et sangvine horrendum suo  
 Scripsere faedus. Vae tibi, Damon! Neque  
 Minus et tibi quoque, cuius aeternum fore  
 Sese ipse Damon dixerat.
- 280 Andromisus: Ubi sunt? Ubi  
 Sunt scelera?  
 Virvidus: Adhuc Elpenor et praesens adest.  
 Is luculentum testis erit.  
 Elpenor: Imo et si opus  
 Pluribus habuerit, esse juratus queo.  
 Andromisus: Nil plura posco; vos enim binos ego  
 Plus quam decem alias, mille et ultra pensito.  
 Elpenor: Quid nunc agendum?  
 Virvidus: Censeo, siquidem velis  
 Deprendere feram, cassibus loca omnia  
 Incincta teneas.
- 290 295

- Andromisus: Huc agite bini proin  
 Et rursus etiam huc state bini, attendite,  
 Ne forte vulpes quaepiam effugiat manus.  
 Circumdate scelus, abripite!
- Damon: An ego scelus?  
 300 Andromisus: Quisquis supremum in Principis faedus caput  
 Audet adoriri, compede et ferro et nece  
 Est puniendus, insuper Princeps jubet.
- [96v] Damon: Numne ego supremum in Principis faedus caput?  
 Elp. et Vir.:<sup>q</sup> Suspecta res est, si qui in arcano simul  
 305 Arcana tractant.
- Andromisus: Ecquod et ubi est alterum,  
 Quod aderat isthic caput?
- Damon: Amicus erat, caput  
 Andromisus: Omnino mihi charissimum.
- Agite! In vincula  
 Hunc abripite!
- Elp. et Vir.: Perfacile, si fuerit nocens,  
 Et alterum itidem in vincula sequetur caput.
- 310 Andromisus: Huc agite et insequamini!  
 Damon: Insontem trahis!
- Elp. et Vir.: An sons, an insons fueris, hodiernus dabit  
 Diesque forte crastinus.
- Andromisus: Sequere hac via.  
 Elp. et Vir.: Trifurcifer!
- Damon: Quo me rapitis?  
 Elp. et Vir.: Ad carcerem.
- Damon: Me liberum sinite, rogo!  
 Elp. et Vir.: Non.
- Damon: Hac vice!  
 Elp. et Vir.: Surdis canis, jam nullus est veniae locus.
- Damon: Supplex rogo!  
 Elp. et Vir.: Nihil!
- Damon: Genuflexus rogo!  
 Andromisus: Raptate sontem, frangite scelesto gulam!
- Elp. et Vir.: Ad Praesidem ibis, ut audias sententiam.

---

308 Hunc] Huic A.

---

<sup>q</sup> Elp. et Vir. = Elpenor et Virvidus.

## INDUCTIO VII.

*Gemini Damonis ephebuli illatam Hero suo vim aegre ferentes, probris et minis in tyrannicum Dionysii invehuntur regimen. Defervescente vero subinde bile, ad Pythiam se expediunt, futuri de Damone mercurii.*

- |       |            |  |
|-------|------------|--|
| 320   | Phoedrus:  | Hem! Quod patratum est et quidem nostrae domi<br>Scelus!   |
|       | Faustulus: | Hem! Damonem in vincula abripere? Caput<br>Tam dulce, tam suäve tamque innoxium?   |
|       | Phoedrus:  | Quis autem origo criminis prima fuerit?<br>Nonne Dionysius?  |
|       | Faustulus: | Numina! Ecurr noxiun<br>Non tollere? Ecurr praevie non perdere?<br>Non fulminare?  |
| 325   | Phoedrus:  | O, tantum ego forem Jupiter,<br>Nullus mihi super esset aut Dionysius<br>Aut Andromisus! Hodie eos adhuc ego<br>Deperderem.  |
|       | Faustulus: | Quin tantum ego forem Hercules,<br>Contunderem ista ego draconica capita,<br>Ut bene diu multumque meminissent mei!  |
| 330   | Phoedrus:  | O Here! Here! Quantum doleo! Quam sortem tuam<br>Lugeo!  |
| [97r] | Faustulus: | Quid autem tantopere ceu mulieres<br>Porro dolemus, lachrymamus, plangimus?<br>Tamen ecce habemus gladia! Tum et viri quoque<br>Sumus. Abeamus ergo, vindices Heri,<br>Ut licet, agamus insimul. |
| 335   | Phoedrus:  | Belle mones,<br>Jam sentio iram!   |
|       | Faustulus: | Jam mihi surgit quoque<br>Masculus! Ego sum terribilis, ubi semel<br>Incipio!  |
|       | Phoedrus:  | Ego decem sternere, vel unus queo!<br>Eamus ergo! Vindicemus Herum!  |
| 340   | Faustulus: | At stupor!<br>Post omnia prius Pythiam adeamus simul,<br>Factum indicemus. Ille consilium aliud<br>Fortasse vel praestabit auxilium.   |
|       | Phoedrus:  | Placet.  |
|       | Ph. et F.: | Ergo cito componamus arma. Pergimus.   |

### INDUCTIO VIII.

*Damon, accepta capitis sententia, missionem petit a vinculis, componendorum negotiorum gratia. Annuitur postulato ejus, si vadem sistat, qui mortem subire paratus sit in casu, quo post elapsum triduum non compareat.*

- |     |             |  |                 |
|-----|-------------|--|-----------------|
| 345 | Elpenor:    | Quando alterum prae manibus haud adest caput,<br>Damon vel unus pro altero pariter luat.<br><br>Damon:   | Sed innocenter. |
|     | Virvidus:   | Omnis hoc ipso est nocens,<br>Quod sic nocentem hunc esse Dionysius velit.   |                 |
|     | Damon:      | Nil me nocentem facere, nisi crimen valet.   |                 |
| 350 | Cerartus:   | Hoc nempe Princeps facere tibi crimen valet.   |                 |
|     | Damon:      | Hoc sola novit facere conscientia.   |                 |
|     | Elpenor:    | An tu hanc negare Principi potentiam?<br>Vide, quod isthoc crimen assurgat novum!  |                 |
| 355 | Damon:      | Ego revereor Principem, haud animo tamen,<br>At imperantem corpori.  |                 |
|     | Omnes 3:    | Hoc ipso es reus.  |                 |
|     | Damon:      | Sed innocentem vita me semper probat,<br>Nec non probabit innocua! Nemo scelus<br>Aliquod mihi impegerit et omnis, qui sibi<br>Bene conscius, ridet minas! Vereor nihil. |                 |
| 360 | Virvidus:   | Et Andromisus, ecce.   |                 |
|     | Damon:      | Nil metuo mihi.  |                 |
|     | Andromisus: | Durum tibi fero nuntium, et mortis quidem.   |                 |
|     | Damon:      | Quo crimine reus agor?   |                 |
|     | Andromisus: | Quod explicite et datum<br>Nimis quam aperte dextera faedus tuo<br>Cum nescio quo pepigeris.   |                 |
| 365 | Damon:      | Amicum putas<br>Meum, mihi charissimum?  |                 |
|     | Andromisus: | Hoc Dionysius.   |                 |
|     | Damon:      | Quod si hoc meum unum crimen est, testor palam<br>Licetque per me propalare singulis,<br>Quod hoc pro amico millies mori velim.  |                 |
| 370 | Andromisus: | Sed et illud audi, quod peracto triduo<br>Mortem subire debeas.  |                 |
|     | Damon:      | Etiam hodie<br>Morerer, nisi unum me attineret; unicum,<br>Quod expedire flagito.  |                 |
|     | Andromisus: | Ut de carcere<br>Sinam te abire liberum?   |                 |

	Damon:	Te per sacra
	Andromisus:	Praecor omnia rogoque! Utique te ut dimitterem,
375		Neque tu tamen reverteres.
	Damon:	Atqui Jovem
	Elpenor:	Ego Deosque Deasque juro singulas! Vah! An fore illum prorsus et stultum putas, Quicunque aviculam abire in incertum sinat?
	Damon:	At si vadem pro me offeram?
	Andromisus:	Siquidem ille sit, Qui te haud reverso penitus et mori velit.
380	Virvidus:	Ubi talis et quis, oro, stultus ille sit?
	Damon:	Ego reperiam.
	Andromisus:	Fac age. Cito stiteris, cito Abire poteris.
	E., V., C.: <sup>r</sup>	Vana spes!
	Damon:	Quin certa res. <sup>s</sup>
385	Phoedrus:	Contra obstupesco Pythiam, qui non modo Sorti Damonis indolet, verum et cum eo Fortunam eandem sustinere cogitat.
	Faustulus:	Verum putasne serio tamen hoc eum Praestare velle?
	Phoedrus:	Stupeo, quod dubites.
	Faustulus:	Sine
	Phoedrus:	Dubio ego dubito et pene vehementer nimis.
390		Quare ergo?
	Faustulus:	Quia quis sibi fere
[98r]		Persvadeat, conferre ut unus pro altero Se in carcerem ipsumsumet velit?
	Phoedrus:	Jucundule!
	Faustulus:	Tamen et in ipsam Pythias mortem reor.
395	Phoedrus:	Lepidule! Nunquid nos amamus invicem?
	Faustulus:	Amamus utique.
	Phoedrus:	Quaero nunc autem, cedo, Vellesne pro me, Faustulo tuo, mori?
	Faustulus:	Cedo ergo, vellesne? Sed amamus invicem!
	Phoedrus:	Quin nos eamus potius ac de Pythia Nos haec Damoni nuntia.
	Faustulus:	Jam eo, si placet.

<sup>r</sup> E., V., C. = Elpenor, Virvidus, Cerartus.

<sup>s</sup> Mezi v. 383–384 je z hlediska obsahu i jazyka poněkud nelogický předěl. Možná zde chybí část textu.

## CHORUS 2

*Ut Amicitiam a Fidelitate divellat Tyrannis, unam earum in victimam destinat. Verum dum alteram pro altera se offerentem videt, mutata mente utrius convivere et commori exoptat.*

- |     |                           |   |
|-----|---------------------------|---|
| 400 | Tyrannis:                 | Adhuc tenetis faedera <sup>t</sup><br>Estisque colligatae?<br>Sic juro coeli sidera,<br>Quod una mox peribit!       |
| 405 | Am. et Fid.: <sup>u</sup> | Me, me, rogo te, fulmina,<br>Per mille perde vulnera!<br>Vitam prius dimisero,<br>Quam dividi permisero.            |
| 410 | Tyrannis:                 | Agnosco vestram charitatem.<br>Ferrum tamen ne vinciat,<br>Hanc dono vobis claritatem,<br>Aurum magis nos vinculet. |

## INDUCTIO IX.

*Pythias personam suam alieno vestitu studiose dissimulans, in vadem quidem Damonis ab Andromiso recipitur. Verum ut mente motus sannis simul et convitis probe excipitur.*

- |       |             |  |
|-------|-------------|--|
| [98v] | Pythias:    | Sic me beatum praedico, si quem bona<br>Sors in Sicanas detulit hodie plagas.<br>Mihi pro amici capite, supremum quoque<br>Detur subire periculum.                                       |
| 415   | Andromisus: | Per me licet,<br>Datur vadem agere. Sed notes illud velim,<br>Quod si statuto tempore haud adsit tuus<br>Jactatus adeo Patroclus, Damon tuus,<br>Morte moriaris ipsem.                   |
| 420   | Pythias:    | Tunc me Polus<br>Quantum o bearit, siquidem fuerit datum<br>Vitam pro amico ponere!  |
| 425   | Andromisus: | Exiguum reor<br>Insigne amicitiae esse, ubi quis non sapit<br>Satis nec esse cautus appetet satis.<br>Sapit ille cautusque sapit, in periculo<br>Quicunque amici alterius extremo cavet. |

401 Estisque] Estique A.

<sup>t</sup> 2. chorus byl pravděpodobně celý zpíváný.

<sup>u</sup> Am. et Fid. = Amicitia et Fidelitas.

- Andromisus: Sed nil ita sibi cavit.  
 Pythias: Utique amicus nihil  
           Cavere poscit; ego periculum volo.  
 Andromisus: Bene habet, volenti non fit unquam injuria.  
           En, quem tibi cupis carcer. En, Damon tuus.
- 430 Pythias: Amice!  
 Damon: Quis me Jupiter videre te?  
 Pythias: Quis basiare, quisque me pro te mori?  
 Andromisus: En, ut petisti, sidera en vadem tibi.  
           Abire proinde liberum per me potes,  
           Nam nisi redieris, certa, qui praesens adest,  
 435 Cedet futurus victima Dionysio.
- Damon: Ita me  
           Dii Deaeque, si meo capiti malum  
           Usque adeo amico imponere.
- Pythias: Hoc unum peto,  
           Sidera ut amicum protegant, ut me Polus  
           Faciat pro amico non reduce posse emori.
- 440 Damon: Confide, certus adero.  
 Pythias: Pro te ego moriar!  
 Damon: Ah, parce! Plura maximus prohibet dolor!  
           Nusquam perire te sinam!
- Pythias: Votum est mori.

[99r]

## INDUCTIO X.

*Dionysius sacra facturus Herculi, Damonem in victimam destinat. Nondum reverso vadem substitui et ad aras adduci jubet.*

- Aulicus: Hic sacrificium constituit intus suo  
           Celebrare coram Numini. Age, praeco! Ad sacra  
 445 Praeco: Eadem ipse voce, qua potes, cunctos voca!  
           Audite cives, Sicula quos tellus sibi  
           Diffusa late continet! Patriae Pater,  
           Salus Sicaniae, vestra gloria et decus  
           Et honor amorque cum sua omni aula, suis  
 450 Cum prolibus, Rex ipse Dionysius, sacra  
           Solennia suo Numini, Herculi suo,  
           Domum ante Regis faciet, hostiam offeret.  
           Itaque vocati huc advolate! Currite!  
           Cuicunque grave sit, praesto qui non sit, scelus.  
 455 Aulicus: Perge, age et in aliud me sequere, praeco, latus,  
           Dum jam Sacerdos, audio, a tergo venit.

- Sac. Herc.:<sup>v</sup> Maximo Divum canimus sacratas,  
                  Quo licet cultu celebamus aras  
                  Numinis toto renitentis orbe,  
 460           Herculis inquam.  
                  Ille jam quondam superavit angves,  
                  Monstra suppressit, domuit leones,  
                  Ille paeprimis Jove cum<sup>w</sup> Gigantes  
                  Jecit ab astris.
- 465           Rex Dionysus colit hujus aras,  
                  Hinc jubet faustum celebrare sacra.  
                  Quidquid ad plausum facit et trophyea,  
                  Serviat isthic.<sup>x</sup>
- [99v] Sacerdos 1, 2:  
 470           Huc age, sacra cohors, sequere, qua te Rex jubet  
                  Celebrare sacra Numini, magno Herculi!
- Dionysius: Curam Deorum principem in curis decet  
                  Usque adeo habere jugiter, magnam ut sui  
                  Abinde partem et imperi atque omnis putet  
                  Pendere populi. Quisquis hoc unum suo  
 475           Non studet habere pectori, quidquid suis  
                  Agat ipse cum Proceribus, in vanum facit,  
                  Inscribit undis litteras, ventos arat.
- Filioli duo: Auguste, loquimur, si faves.  
 Dionysius: Faveo, quid est?  
 Filioli duo: Jamjam parata sunt sacra, expectant patrem.
- 480           Dionysius: Adducta numne est victima? Ipsum illud scelus,  
                  Quod nuper ausum est publice in nostrum caput  
                  Inire faedus?
- Andromisus: Nempe Damonem putas?  
 Dionysius: Hic ipse Damon victima Herculeis sacris  
                  Ducatur immolandus. Hoc jubeo, hoc volo.  
 485           Andromisus: Atqui ille Damon de favore Principis  
                  Jam triduum ipsum a carcere, accepto vade,  
                  Missus vagatur.
- Dionysius: Sic meum juro caput!  
                  Vas, statuo, subeat illico absentis locum!  
                  Huc adferatur victima!

---

**464** Jecit] Jacit A.

---

<sup>v</sup> Sacerdotes Herculis.

<sup>w</sup> *Jove cum* – neobvyklé pořadí slov, zřejmě z metrických důvodů.

<sup>x</sup> V. 457–468 sapfická strofa.

- Andromisus: Ut Regi placet.  
 490 Filiolus 1: Sic stet suus honor Herculi.  
 Filiolus 2: Et ita suus patris.  
 Nutus Themisque adimpleatur Principis!  
 Obtemperare nutibus decet tuis.  
 Omnes. aulici: Io, Dionysi! Rex et honor et amor, io!  
 Nostrum triumpha gloria! Perrenna, impera!

### INDUCTIO XI.

*Damon redux et de via fessus, tantisper ad Satyrum divertit, a quo de Pythiae discri-  
mine admonitus, illico ad liberandum a morte amicum procurrit.*

- 495 Damon: Tandem revertor, peracta sunt negotia.  
 Revertor tandem et laetus in fatum meum  
 [100r] Redeo.  
 Ph. et F.:<sup>y</sup> Here, quid hoc? Ita ne tu in fatum tuum?  
 Damon: Sane.  
 Ph. et F.: Astra vertant!  
 Damon: Sed ita Dionysius mihi.  
 Faustulus: Here, nunquid hic, ut cernis, in tuto sumus?  
 500 Quid est reverti ad Dionysium opus?  
 Damon: Parvuli!  
 Opus et necesse est maxime, nam Pythias  
 Moreretur alias. Hinc ego revertor libens,  
 Ut vel ita quoque pro Pythia moriar ego.  
 Ph. et F.: Sed quid ita nobiscum erit, here? Heu! Heu lacrymae!  
 505 Damon: Sinite.  
 Ph. et F.: Ergo vel tantillum inter haec loca  
 Requiescere libet.  
 Damon: Lumina sopor opprimit.  
 Ubi Pythias?  
 Faustulus: Si me vocas, adsum.  
 Damon: Cito!  
 Phoedrus: Si quid jubendum est, impera.  
 Damon: Hic erat modo.  
 Faustulus: Hic nempe somnus fuerat et vix non adhuc!  
 510 Phoedrus: Hic aula Morphei, plurimo insiliens pede,  
 Capitis theatrum fuerat et vix non adhuc.

---

510 insiliens] insilens A.

---

<sup>y</sup> Ph. et F. = Phoedrus et Faustulus.

- 515
- Damon: Nugaris in re seria. Vidi utique.  
 Faustulus: Non dubito, si scirem modo, quibus oculis.  
               Hi dormiebant, mentis appressae vigor  
               Phantasma inane pertulit.
- Phoedrus: Ludit sopor  
               Praeterita recolens, quaeque sub diem sibi  
               Praelusit animus, illa sub noctem evocat  
               Sinitque scenam ludere.
- Damon: At inhaerent diu,  
               Quae semel in imo fixeris mentis sinu.  
 520 Faustulus: Licet, decet prodestque mentem tristibus  
               Curis onustam distrahi. Sequere gradum!
- Phoedrus: Desiste somno! Et en! Quam amoena haec omnia!  
 Faustulus: En qualis haec domuncula?  
 Ph. et F.: Here! Fugimus! Here!
- Damon: Tamen et ego mihi metuo.  
 Satyrus: Nil metuas tibi,  
               Quicunque nostros ingrederis hospes Lares,  
               Qualis neque hic a seculo est visus alias.  
               Subsistе paulum, conside. Vosque illico,  
               Filioli, ad hospitis istius praesentiam  
               Nota exhibete saltuum agite tripudia.
- [100v]
- 525 Parvi satyri: Agimus libenter, nos quod agere pater jubet.  
 Satyrus: Bene, gratiose, filiolи.  
 3 satyri: Io, pater! Io!  
 Satyrus: Sed nunc ego, hospes, tibi aliquid et illud quidem,  
               Quod intus ultra innuere mihi Numen meum.  
 Damon: Audio libenter.  
 Satyrus: Nescio, an sic audies.
- Dicam tamen. Num non amicum quandam habes?  
 535 Damon: Habeo, mihi et amicissimum.  
 Satyrus: Non erat  
               In carcерem pro te locatus?
- Damon: Erat, ita.  
               Et adhuc, reor, erit.
- Satyrus: Imo non est amplius  
               In carcere.
- Damon: Astra! Quid si eum Dionysius,  
               Noster Tyrannus, interim occidit quoque?  
 540 Satyrus: Nondum est peremptus. Sed modo nunc ad locum,  
               Ubi prematur, ducitur. Nisi properas,  
               Non deprehendes Pythiam.

---

542 prematur] primatur A.

Damon: Propero. At Polus  
Tibi rependat! Pythia!  
Ph. et F.: O mi Pythia!

### INDUCTIO XII.

*Stante jam sub securi Pythia, adest Damon seseque Tyranno ad necem sistit. Cujus loco dum caedi contendit Pythias, Damone reluctante, novitatem insolentis certaminis admiratus Dionysius utrumque vita donat, utque se tertium in amicitiae suae faedus recipiant, postulat.*

- |        |             |   |
|--------|-------------|---|
| 545    | Andromisus: | Nunquid ego dixi, quod nimis fidas tuo<br>Cuicunque Achilli Patroclus?  |
|        | Pythias:    | Utique etiam adhuc<br>Fido meo Achilli.   |
|        | Andromisus: | Stultus es et ideo quoque<br>Moriere, per me licet.   |
|        | Pythias:    | Id ego penitus nihil<br>Horreo, nihil refugio, precor imo et rogo,  |
| 550    |             | Ut astra me in tantum beent, quo pro meo<br>Mihi detur esse posse Theseo hostiam.   |
|        | Andromisus: | Stultitia mentem si occupat, totam rapit.   |
|        | Pythias:    | Nihil pro amico stultum agere amicus potest.  |
|        | Andromisus: | Nisi moriatur.  |
|        | Pythias:    | Astra concedant mihi,<br>Uti pro amico moriar! Hoc partem meae  |
| [101r] |             | Felicitatis aestimem. Hoc rogo! Hoc peto!   |
|        | Andromisus: | Sine prece habebis, hac sequere pro victima!  |
|        | Pythias:    | Velut in Elysium! Florida in Tempe velut!<br>Imo Jovis ipsa in atria!   |
|        | Andromisus: | Sequere, videbimus!   |
| 560    | Pythias:    | Adamante meus est firmior, nunquam meo<br>Sinu tepescet caeptus in Damonem amor.  |
|        | Dionysius:  | Magni Tonantis Jupiter obaudi preces,<br>Ter magna soboles, cujus ad nutum Polus<br>Ipseque pavescit Taenarus et orbis tremit.<br>En, quod tibi plaga Sicanis in capite suo<br>Omnique in aede regia exsolvit sacrum! |

- Hoc est, quod olim monstrarunt Polyphemi luem,  
 Et quidquid alias pestilens fuerat, tua,  
 Fatemur omnes, caelite, domueris manu.
- 570 Nunc ergo, sacra quas cohors Deum moras  
 Tandem et quousque nectitis? Pergat sacrum!  
 Sacerdos 2:  
 Auguste Princeps, gloria Deorum et decus  
 Sumus, en, parati nutibus cuncti tuis.  
 Necdum offerenda victima at praesens adest.
- 575 Dionysius:  
 Necdum offerenda victima est praesens adhuc?  
 Sic sceptra juro! Sic meum juro caput,  
 Quodsi immolari forsan horrescit nefas,  
 Ipse ego Sacerdos carcerem incurro! Ipsem  
 Obtrunco pestem!
- Fil. uterque:<sup>z</sup>  
 580 Quin agere tuos, pater,  
 Admittis isthoc filios.  
 Filiolus 1:  
 Ego ferrum ei  
 Per ilia adigam!  
 Filiolus 2:  
 Ego caput ipsum dividam!
- Dionysius:  
 585 Sinite piare dexteras, jam adest sacrum.  
 Aulici omnes:  
 Auguste! Divum gloria, Siciliae Charis,  
 Patriae supremus arbiter et unum decus,  
 Vivis, io, princeps, si Diis sacrum facis!
- [101v] Dionysius:  
 Abripite devotam Herculi, Mystae, hostiam!  
 Pythias:  
 I! Mihi inimicum, morere, sic jubeo, caput!  
 Morior pro amico et gaudeo, quod pro meo  
 Damone moriar! Dulcis anima! Sicubi  
 590 Ubiunque et aura frueris, hoc videat Polus  
 Mei in te amoris testimonium et sciat,  
 Quod pro Damone Pythias pereat libens!  
 Amavit et amat, sanguine expresso offerens,  
 Signandum amorem Pythiae suo. Nota  
 Hac me ligavit, indies crescit favor  
 Amorque crescit indies; votum est mori.  
 Age! Age, Sacerdos! Quid ita, quamque diu manum
- 595 Sacerdos 1:  
 Carnificem adhuc moraris et clavam Herculis?  
 Huc age! Nec ideo provoca, voto satis  
 Subinde fiet, carmen ubi prius Herculi  
 Dictum et Diis sacrata fueris victima.

---

579 tuos] tuus A.

595 indies] indices A.

---

<sup>z</sup> Fil. uterque = Filiolus uterque.

### Cantus Sacerdotum

- Maximo Herculi vota paramus,  
 Siculo Numini sacra dicamus.  
 Hostiam ducimus nobiliorem,  
 Victimam facimus hoc chariorem,  
 Rege volente, sic statuente.  
 Io, Sicilia, sic perennabis,  
 Per sacrificia sic juge stabis,  
 Siquidem populus sacra servabit  
 Et Dionysius sic victimabit.  
 Hercules, io! Hercules, io!
- Damon: Augste Princeps!  
 Sacerdos 1: Quis sacra alienus subit?  
 Damon: Augste Princeps! Non sum ego alienus, vides,  
 Sed sum ipse Damon. Ne, precor, perget sacrum,  
 Ut immoletur Pythias. Ego! Ego mori  
 Debeo! Recede, svavis anime! Pythia  
 Optate! Amice fidelis! Et me, me mori  
 Sine, cui mors debetur.
- [102r]
- Pythias: Avertant Diī,  
 Ut alius ac ego moriatur, et quidem  
 Ut tu! Astra! Damon!
- Damon: Atqui ego ipse sum, cui  
 Mors est statuta.
- Pythias: Atqui autem ego sum Pythias  
 Pro te mori paratus et jussus mori.
- Damon: En me, Sacerdos victimam! En Dionysio  
 Habes paratam victimam!
- Pythias: Atqui ego illa sum  
 Victima, Sacerdos, percutere hoc meum caput!  
 Feri!
- Damon: Sine! Sine me mori, sine, Pythia!  
 Pythias: Non sino, ego moriar!  
 Damon: Atqui ego autem sum reus.  
 Tu vero es innocens.
- Pythias: Pariter ego sum nocens.  
 Ego! Ego moriar!
- Damon: Sed ego sum jussus prior  
 Mori, ergo moriar!
- Pythias: Sed ego sum jussus dein  
 Pro te, Damone, mori, ergo non tu, ego moriar.
- Damon: Servate! Servate, precor, astra Pythiam!  
 Pythias: Quin mihi Damonem sidera, Damonem mihi  
 Servate, precor!

	Damon:	Ego denique moriar.
	Pythias:	Ah, ego!
635		Ego nempe moriar.
	Damon:	Quin ego moriar, et quidem
		Ego libenter moriar.
	Pythias:	Itidem ego, et quidem
		Ego perlubenter moriar.
	Damon:	At nunc oro te,
		Mi Pythia, oro! Ne magis mori sine!
	Pythias:	Non sino, Damone mi! Non sino! Sed oro magis,
640		Ut me mori pro te sinas.
	Damon:	Auguste! Num
		Non jussus a te sum mori?
	Pythias:	Auguste! Num
		Non jussus a te sum mori?
	Damon:	Ego nempe moriar!
		Ita! Ita! Ego moriar!
	Pythias:	Quin ego moriar! Ego! Ego!
	Dionysius:	Abripitis usque mihi adeo, ut quid nunc fere
645		Dicam loquarve, nesciam.
	Damon:	Ego nempe moriar!
		Ita! Ita! Ego moriar!
	Pythias:	Quin ego moriar! Ego! Ego!
	Dionysius:	Quin imo vestrum nemo morietur mihi!
[102v]		Et oro, crimen istud avertant Dii,
		Quo bina tam fida sibi dividere velim
		Pectora! Sino! Sino utrumque porro vivere,
		Quin et perennare volo! Precor imo, ut duo
		Vos me sinatis esse vobis tertium,
		Qui mihi parem vos inter experiar fidem.
		Ita, ita! Sino utrumque agere et in vivis sino!
655	Dam. et Pyt.: <sup>aa</sup>	Siquidem ita nos restituis et nos vivere
		Porro, Dionysi, squidem deinceps sinis,
		Juramus astra, Pythiae ut Damon erit
		Et ut Damoni Pythias, quod sic quoque
		Ambo futuri simus in Dionysium!
660	Aul. om. s.: <sup>bb</sup>	Io, Dionysius! Pythias! Damon! Io!
		Duret, perennet juge amicorum trias!

## EPILOGUS

*Fidam et constantem in aequis amicitiam commendat.*

<sup>bb</sup> *Dam et Pyt.* = *Damon et Pythias.*

<sup>cc</sup> *Aul. om. s.* = *Aulici omnes simul.*